

CHRISTIAN CREEDS

Symbolum Apostolorum:

1 Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae.
2 Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui
3 conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio
4 Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die
5 resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris
6 omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos.
7 Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum
8 communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam
9 aeternam. Amen.

Symbolum Nicaenum:

10 Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae,
11 visibilium omnium et invisibilium.
12 Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex
13 Patre natum ante omnia saecula.
14 Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non
15 factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt.
16 Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis.
17 Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.
18 Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et
19 resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad
20 dexteram Patris.
21 Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni
22 non erit finis.
23 Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque
24 procedit.
25 Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per
26 prophetas.
27 Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.
28 Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.
29 Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Quicumque vult . . .

31 Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam
32 fidem:

33 Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in
34 aeternam peribit.

35 Fides autem catholica haec est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem
36 in unitate veneremur.

37 Neque confundentes personas, neque substantiam seperantes.

38 Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti:

39 Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria,
40 coeterna maiestas.

41 Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus
42 Filius, increatus Spiritus Sanctus.

43 Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

44 Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus.

45 Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.

46 Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus
47 immensus.

48 Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus
49 Sanctus.

50 Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

51 Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

52 Et tamen non tres dii, sed unus est Deus.

53 Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

54 Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

55 Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum
56 confiteri christiana veritate compelimur: ita tres Deos aut Dominos dicere
57 catholica religione prohibemur.

58 Pater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

59 Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

60 Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed
61 procedens.

62 Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus
63 Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

64 Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed
65 totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

66 Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et
67 Trinitas in unitate veneranda sit.

68 Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

69 Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque
70 Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

71 Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster
72 Iesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est.

73 Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus: et homo est ex
74 substantia matris in saeculo natus.

75 Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali et humana carne
76 subsistens.

77 Aequalis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum
78 humanitatem.

79 Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

80 Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione
81 humanitatis in Deum.

82 Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae.

83 Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus
84 est Christus.

85 Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos: tertia die resurrexit
86 a mortuis.

87 Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde
88 venturus est iudicare vivos et mortuos.

89 Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus
90 suis: et reddaturi sunt de factis propriis rationem.

91 Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam: qui vero mala, in ignem
92 aeternum.

93 Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit,
94 salvus esse non poterit. Amen.